

DE
DISCVSSIONE
 ET
MEDICAMENTIS • DISCVTIENTIBVS
 IN GENERE

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGI BORVSSIAE
 SILESIAEQVE DVCE RELIQVA BVRGGRAVIO
 NORIMBERGAE RELIQVA

CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO
 ET TRIVM LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

D. HENRICO FRIDERICO DELIO

ACADEMIAE H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSILIAR. AVL.
 MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
 ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVR. ET REG. SOCIET.
 SCIENT. MONSPELIENS. SODAL.

P R O G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
 AC PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
 AVTOR ET RESPONDENS

MARTINVS MARIKOWSKY

ROSNAVIA-GÖMÖRIENSIS-HVNGARVS.

D. XXVI. MAIL. MD.CCLV.

E R L A N G A E

TYPIS IO. DIET, MICH. CAMERARII ACAD. TYPOGR.

GALEN.
de causs. symptom.
L. V.

*Constitatur Vis et colluctatur contra ea quae adfigunt,
donec arietando commouerit et diffregerit.*



DE
DISCVSSIONE ET MEDICAMENTIS
DISCVTIENTIBVS.

SECTIO I.
DE DISCVSSIONE.

§. I.



Stagnatio humorum C. H. est imminuta,
eorum per vasa motus, infra naturalem,
celeritas.

§. II.

Stagnatio ergo a stasi plenaria differt, quod in
hac motus progressius prorsus cesset.

A

§. III.

§. III.

Inflammatio stagnationi superueniens cum rubore, tumore, calore et dolore coniuncta est.

§. IV.

Inflammationis gradus supremus cum stasi dicitur gangraena, si scilicet putredo nondum adest, hac orta sphacelus audit.

§. V.

Non vnus est inflammationum exitus. Aut resoluitur quod stagnauerat, aut in suppurationem abit, aut in gangraenam, sphacelum, vel etiam in scirrhum. Quodsi stagnans materia ita determinari potest, ut absque sensibili solutione continui coagulata, impacta, liberari, et in M. S. iterum tuto adigi, cum eaque iterum debite agitari queat, felicissimus hic stagnationis et inflammationis foret euentus. In hunc finem varia pro variis indicationibus adhiberi solent. Novimus inde terminos medicamentorum resoluentium, aperientium, incidentium, digerentium, emollientium, deoppilantium *et.* Non infimum locum occupant *discutientia.*

§. VI.

Per discussionem in generali sensu, intelligo, dum ipsi humores in motu per partes C. H. molles,

les, impediti, iterum ad circulationem naturalem reducuntur. In strictiori autem sensu, discussio resolutionem inflammationis denotat, quatenus praecipue mutatio haec pendet, a noua solidarum partium in stagnantes humores actione proportionata.

§. VII.

Pro differentia itaque causarum, quae stasin vel stagnationem produciunt, diuersa quoque discussionis erit ratio.

§. VIII.

Circulatio sanguinis naturalis seu sana, dependet, a debita constitutione partium solidarum siue canalium, per quos traicitur, atque ab ipsa quoque conditione fluidi traiciendi, quod ipsum de omnibus C. H. fluidis praedicari potest. Quicquid itaque statum naturalem canalium vel fluidorum labefactat, id etiam stasin et stagnationem inducere valet.

§. IX.

Cum canales ex fibris simplicibus sint compositi: harum vero quoad cohaesionem elementorum ex quibus componuntur, duplex praecipue concipi possit status, vel *debilis*, qui Cel. BOERHAAVIO est adunatio partium miminarum, cum nisu in cohaesio-

nem tam paruo, vt vel illo leui motu, solui queat qui sanitatis effectu sit, vel non multum maiori; vel *rigidus*, quam idem Au&tor, illam dicit esse adunationem partium minimarum, quae tam valide faciat eas cohaerere, vt non cedant illi actioni fluidorum, quae superare debet hanc resistantiam, vt maneat sanitas; et de toto id, quod de partibus eius simul sumtis, praedicari queat, (per metaph.) manifestum est, hoc respectu, si canales a statu toni naturalis deflectant, eos vel debiliores vel rigidiores euadere debere.

Praeclare hanc in rem differit Ill. van SVVIETEN *Comment.* in BOERHAAV. *aphor.* T. I. p. 22. A quacunq;ue, inquit, demum causa fiat cohaesio elementorum, fibram constituentium, inter se, poterit facile concipi, quod illa vis, qua cohaerent, possit augeri, possit minui: debent vasa nostra, ex fibris confata, cedere posse impulso liquido, et distendi nec nimis tamen, debet manere cohaesio sine ruptura: hinc requiritur certus et determinatus cohaesionis gradus in fibris nostris, qui si maior vel minor fiat, morbum faciet.

X.

Si vasa capillaribus maiora debilitate laborant, impetui irruentium fluidorum cedunt, (per defin.)
adeoque

adeoque diametrum naturali maiorem indipiscuntur, hinc apta redduntur ad crassiora quoque fluida admit-
tenda, quam ferunt in statu sano. Quia autem ca-
nales H. C. conici sunt, adeoque in progressu vasa
arteriosa angustantur, si lumen vasis maioris diametri
laxum, fluidum crassius admittat, hoc, versus api-
cem coni prouoluzum, ob angustiorem ibi diametrum,
in latera canalis frequentius impingens, primum de
celeritate sua perdat, vel plane tandem stasin conci-
piat, necesse est.

§. XI.

Sed et vasa capillaria, ob debilitatem suam,
fluida, per ea manantia, disponunt ad quietem. Cum
enim debilitas diametrum eorum augeat, factio scilicet
fluidi impulsu, tam per motum progressiuum, quam
per leges attractionis: fluidum vero idem in vasis ca-
pillaribus latioribus, ad eam altitudinem non ascen-
dat, quam in arctioribus adsequitur (vid dissert. exper-
I. de capill. acutissimi BILFINGERI §. IV. 2.) quo
pacto, motus fluidorum, in his quoque impediri
possit, nullo negotio ex his intelligitur.

§. XII.

His praemissis, manifesta est discussionis, in
hoc casu ratio. Debilitas enim vasorum inuoluit, debili-

VIII DE DISCVSSIONE

bilitatem fibrarum (§. IX.) harum debilitas oritur ab imminuta vi cohaesionis (§. eod.) hanc vero impedit, vel corpus peregrinum per se, aut cum elementis fibrae minus cohaerens, iisdem interueniens, vel nullo tali corpore praesente, eiusmodi elementorum fibrae mutatio, vt ea se in paucioribus punctis contingant. Hac itaque rerum facie discussio actuari potest:

1. Partes solidas nimium humidas debite exsiccando. Quoniam autem debilitatis fibrae species, laxitas etiam eiusdem est, quae ea partium cohaesio vocatur, quae parua vi potest mutari ita, ut fiat se ipsa longior: per experimenta autem physica quam plurima constat, non omnia fluida omnium corporum cohaesionem tollere vel impedire. Hygrometrum docet, dum in fune se singulis filamentis insinuant partes humidae, filamenta crescere in latitudinem, et adeo decrescere in longitudinem, at enim vero vbi laxitas inducitur, ibi fit elongatio, (per defin. lax.) vides E. non per omnis fluidi ingressum in fibram quandam, laxitatem E. debilitatem ei inferri posse; itaque

2.

2. Fluidum, elementa fibrae secundaria inter se inuicem conglutinans, restituendo, sub hisce circumstantiis, discussio absoluetur.
3. Sit vero debilitatis fibrae ratio in maiori, quam par est, elementorum eius distantia, ob quam debite cohaerere inter se inuicem nequeunt, tum vel (a.) adstringendo ea propius ad se inuicem sunt adducenda, vt ita, applicando potentias motrices, stagnans varie moueatur, vel (b.) interpositione nouorum corpusculorum, contactus in pluribus punctis est producendus, seu cohaesio augenda. V. ILL. PRAES ID. Diff. de Taraxaco. §. 26.

§. XIII.

Siquidem rigiditas fibrae est praeter naturaliter aucta minimarum eius partium cohaesio: cohaesio autem multitudini contactus punctorum sit proportionata, (per physic. princ.) hunc impeditentia sub hac conditione discussionem efficient:

1. itaque interponenda sunt, moleculis fibrae minimis, corpuscula figurae sphaericae; cum ex mathesi notum sit, sphaeras perfectas in illo solummodo puncto, ex quo videlicet tangens ducitur, sese contingere: Vel

B

2. sine

2. sine interiectione alius corpusculi, motus vis, elementis fibrarum in contrarias, contactui, directiones, impertiendus.

§. XIV.

Si impeditae humorum circulationis ratio, in ipsis humoribus continetur, aut ea quaerenda erit in quantitate, aut qualitate eorum. Quantitas noxia, vel est naturali maior vel minor.

§. XV.

Aucta quantitate, celeritate naturali et *ευξία*, manente pulsus sunt ad se inuicem, vt ipsae massae fluidorum.

Sit pulsus = p. massa sanguinea in corpore contenta = m, et velocitas qua mouetur = c. erit, per eam, quam LEIBNITIVS dedit, virium viuarum, vtque Cel. EBERHARDVS, in Physica sua P. I. c. III. et P. II. c. I. eam determinauit, corporis, aucta celeritate mouentis, dimensionem, $p = mc^2$, in statu nempe sano.

Sit incrementum quantitatis = n, summa = m + n, pulsus in tali subiecto = P, per consequens

$$P = mc^2 + nc^2, \text{ ponamus } c = 1, \text{ erit}$$

$$P = m + n, \text{ et}$$

$$p = m$$

$$E. P: p = m + n: m. Q. E. D.$$

Sponte

Sponte ex demonstratis fuit, hic discussionem sine imminutione quantitatis locum non habere, cum maior quantitas, maiorem naturali, in vasa producat impetum, vnde horum atonia, impedita hinc fluidorum circumactio.

§. XVI.

Si sanguis defectu peccat, deerit debita fluidi neruei quantitas, E. tonus vasis, E. systole conueniens, vnde stagnatio et stasis; hanc ea optime discutiunt, quae succos tonumque reuocant, vt sunt nutritientia et analeptica.

§. XVII.

Qualitas humorum, vt eorum circulationem impediat, requiritur, quo aut ipsi ad permeandum vas sint inepti, quod efficit spissitudo, aut acrimonia sua canales irritando sibi ipsis viam praecludant. Vtrotque in casu manifesta est discussionis ratio, priori enim resoluentia, posteriori acrimoniam inuoluentia satisfaciunt.

SECTIO II.

DE MEDICAMENTIS DISCVTIENTIBVS,

§. XVIII.

De his non nisi generalia quaedam adducere vacat. Curare est causas morbi tollere. Discutere

est stagnationem vel stasim curare, E. causas eius tollere (per defn.). causae autem sunt variae (per supra demonstr.) Cum autem eadem numero causa diuersos effectus producere nequeat (per metaph.) patet vnus generis medicamenta, diuersas stasium vel stagnationum causas tollere, discussionem praestare non posse. Adhaec a priori etiam clarescit, plura medicamenta, discutientia dici posse: Quodcunque medicamentum discutit, illud tollit stasim et stagnationem. (per def.) E. vitia solidorum et fluidorum supra recensita. per demonstr.) in omni vero morbo, solida C. H. vel sint debilia vel stricta nimis, fluidaque vel quantitate vel qualitate peccent; (per def. morbi) perspicuum est, quodsi plura medicamenta morbis medentur, medebuntur etiam dictis eorum causis. Quaecunque itaque medicamenta, memoratis morborum causis possunt opponi, illa dici possunt discutientia (per supra demonstr.). Atqui plura medicamenta, iam enarratis morborum causis opponuntur (per antec.) E. plura medicamenta dici possunt discutientia. Q. E. D.

§. XIX.

Iam paucis totam simplicium pharmacorum (cum compositorum vis, a natura simplicium dependeat.) sylvam percurram, ostensurus, varias classes medica-

medicamentorum, pro diuerſitate cauſarum effectum diſcuſſionis edere poſſe.

§. XX.

1. Abſorbentia acidum, coagulans lympham, cum eoque in ſalis medii naturam abeuntia, reſoluere, adeoque diſcutere poſſunt (§. XVII).
2. Si acrimonia impediatur circulationem humorum (§. eodem) gelatiſoſa, inuoluentia, proderunt.
3. Acida reſoluere, E. diſcutere, euicit BOERHAAVIVS (chym. T. II. p. m. 184.)
4. Salia alcalina et media reſoluunt et ſtimulant (conf. Cel. Io. FRID. CARTHEVSEI *fund. mat. med.* P. I. p. 247. ſeqq. et p. 277. ſeqq.) E. diſcutiunt. (ſupra §. XVII. et n. 3.)
5. Auſtera ſtyptica etiam, ſolida adſtringendo, in certis caſibus diſcutere poſſunt. (§. XII.)
6. Vbi ſtimulo opus eſt, acria proderunt.
7. Dulcia demulcendo, emolliendo, reſoluendoque diſcutiunt (l. c. p. 445. §. cit. ſupra.)
8. Amara, quae, cauſa materiali, cum dulcibus conueniunt, eius ſolum proportione, modoque mixtionis, ab eis differunt (l. c. p. 471.) in primis reſolutione diſcuſſioni inſeruiunt (l. c. p. 478.)

A 3

9. Pur-

9. Purgantia et emetica incidendo et vellendo (l. c. p. 502. seqq.) causa discussionis esse possunt (§§. cit.)
10. Vaporosa et narcotica, in principio motus augent, et sub forma halitus tenuissimi, vasa capillaria, subeunt (vid. A. c. p. 578. seqq.) vbi itaque dolorum spasmorumque atrociam, vasorumque nec non circulationis humorum torpor (quod forsitan paradoxon videri posset, ast vid. A. c. l. p. 583. seqq.) statim gignit, pharmaca haec etiam, discussioni, obseruatis obseruandis, apta reddi possunt.
11. Balsamica et aromatica, principio partim volatili oleoso-spirituoso, partim fixo gummeo resinoso aut resinoso-gummeo, tam vi solidorum contractili aucta, quam immediata partis spirituosae mobilissimae miscela, iusto crassiores, vt vegetabilium, ita et animantium humores, resolueno, vim discutiendi exserunt (§. XVII.)
12. Si rigor solidorum quietem humoribus inducat, (§. XII.) oleosa et mucilaginea, discussioni fauebunt.
13. Sulphurea, camphorata et mercurialia virtutem resoluentem, adeoque discutientem (§. XVII.) possidere negari nequit.

14. Aqua

14. Aqua simplex diluit, frigida roborat, tepida emollit, E. pro re nata (§§. XVII. XII. et XIII.) discutit.

§. XXI.

Cum ea humorum C. H. pars, quae, extra debitum motum versa, stagnauerat, ex stagnatione vel etiam stasi, praecipue diuturna, aliam iam indolem adepta sit, quam si perpetuo cum massa sanguinea iuncta fuerit, sequitur, hanc partem discussam, nouiter cum M. S. mixtam, tanquam peregrinum humorem considerandum esse, qui non adeo facile cum reliqua massa redire in gratiam possit. Necessaria hinc fuit cautela practica, vt discusso aliquo humore antea stagnante, scilicet mobili reddito et ad M. S. iterum delato, illud egregie curet medicus, vt per alia conuenientia loca excretoria eliminat liberatas quidem, at vitiatas, partes.

§. XXII.

Discussio hinc magis locum inuenit, si stagnatio vel stasis non admodum profunda vel ampla fuerit, nec stagnantes partes indolem adquisuerint a statu M. S. naturali plane alienam.

§. XXIII.

XVI DE DISCVSSIONE ET DISCVTIENTIBVS.

§. XXIII.

Quantum itaque discussio iusta differat a nuda et noxia repulsione, facile patet. Atque hanc discussionem pro varietate caussarum, et pro varia morbi fede et indole, per remedia interna et externa topica perpetrari posse perspicuum est. Quae autem omnia specialissime determinare iam non vacat. Sufficiant ergo quae in medium proponere licuit de discussione in genere.

TANTVM.




01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3





DE
DISCVSSIONE
ET
MEDICAMENTIS • DISCVTIENTIBVS
IN GENERE

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO
MARGGRAVIO BRANDENBVRGI BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE RELIQVA BVRGGRAVIO
NORIMBERGAE RELIQVA

CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO
ET TRIVM LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

D. HENRICO FRIDERICO DELIO
ACADEMIAE H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSILIAR. AVL.
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
ACADEM. IMPERIAL. NAT. CVR. ET REG. SOCIET.
SCIENT. MONSPELIENS. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS

MARTINVS MARIKOWSKY
ROSNAVIA-GÖMÖRIENSIS-HVNGARVS.

D. XXVI. MAII. MDCCCLV.

ERLANGAE

TYPIS IO. DIET, MICH. CAMERARII ACAD. TYPOGR.

